Graswinkelio.

Nobilissime et clarissime vir (256)

Dum in integro Brederodii nostri, τὰ ταλαίπωρα res fuere, dedi operam tacitè quam potui, ne se ab amico ἐν ἡμέρᾳ κακώσεως temerè desertum cum causa quereretur. postquam spes ultima decollauit, et latæ sunt, quot homines, tot sententiæ, quarum non dubiè funestus rumor Hagam impleuerit, rogo te, qui antehàc silere jussus fui, quid interloquendo deinceps profecturum autumes. Superest quantum video, ut quem facundiæ patrocinio seruare nequiisti, masculâ consolatione, et prorsus melioris Philosophiæ monitis erigere contendas, atque ab egregiæ existimationis culmine, graui lapsu dejectum virum (cui illud certè vitio verti potest, quod non satis Nicolaus fuerit, ab ipso populo præposterè victus) in eo saltem generosi animi instituto firmare studeas, ne hactenus inuidiæ gratificetur, ut sacra fidemque patriæ quâuis conditione commutet; quæ nimirum ἔσχατα κακῶν fore τῶν πάντων fore, non dubiè mecum judicas. vale vir maxime et me ama. In castris ad Bredam. Ips: Cal: Non: CIↃIↃCXXXVII. statim atque tuas accepi. cum de discessu tuo simul moneret, qui has traditurus est vir præstantissimus, et multis mihi nominibus amicissimus

Constanti studio Tuis

C.H.

Barlæo

Amplissime et amicissime vir.

(258)

Facio ad hanc Triumphalem orationem tuam, quod ad funebrem illam feci, quam recenti meo luctu tam eruditè mihi concinnaueras: sileo nempe, præter morem et decorum: si manum spectas animi interpretem, si quid intus agam ingenuè profitenti credis, procul a silentio sum, et tacitâ quâdam garrulitate mecum lando, quod pari te affectu et facundia nunc patriæ gaudiis, nunc amicorum calamitati, summus utrobique orator impendis. Sed ne, quod dicere cœpi, facere desinam sileo; atque ut laudibus, quas publicè amplissimas mereris, et gratiis quas a me perpetuas, intentius vacem in me redeo, et quem ibi virtutis tuæ indelebilem characterem circumfero, tacitus amplexatum eo.

Cæterum

© Koninklijke Bibliotheek
KA 45, fol. 88r
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/1757